

3
Disputatio Ethica
De
FORTITUDINE,

Quam
Auspice Christo

ET

*Approbante Amplissima Facultate Philosophica,
In Regia Academia Upsaliensi*


P R Æ S I D E
ANDREA J. ANTHELIO

J. U. D. & Eloquentiæ Professore
R. Ordinario.

Exercitij gratia proponit

Olaus P. Helsingh Gevaliensis
Sereniss. Reg. M. Stipend.

*Ad diem 11. Martij Anno 1648. in Auditorio
Veteri Majori horis à 7. matutinis*



U P S A L I Æ,
Imprimebat Eschillus Matthiæ, Anno 1648.

Diplomatic Historia

FORTITUDINE

Amplicius Christo

Amplius Christo

ANDREA ANTHELIO

Olavus P. Petrus Gualtherus

IMPRESUM
Inpimetur Editus Mantua Anno 1643



Disputatio Ethica

De

FORTITUDINE.

Thesis I.



DE præclaræ virtutis Fortitudinis indole paucis differere meditatur, cum passim ab Historiographis inclyta celebretur, & illis qui opem in periculo bellorum promptius exhibuerunt, divini honores pendantur. Ioh. Mag. Hist. Sveogoth. l. i. c. 10.

II.

Inter virtutes meritò primum tenet locum Fortitudo, ob insignem usum quem societati civili præstat, ejus enim ope, Patria, libertas, religio, conjuges & liberi conservantur. Hinc factum ut plurimæ gentes hanc pro singulari virtute habuerint. Aristot. lib. 7. Politic.

III.

Græcis *Ανδρεία* dicitur quasi virilitas à nomine

αἰς

an̄q; vir, vel quia virum maximè decet, vel quia animum virilem requirit; non quod in solos viros cadat, sed quod maximè digna sit sexu virili, & in illo frequentior.

IV.

Ne Homonymia notitiam rei interpellet, ambiguitas vocis tollenda est: Fortes dici consueverunt præditi firmioribus musculis brachijsq; ut Hercules & Cacus de quibus Liv. l. 1. celeritate pedum pollentes, eximiâ specie corporis venusti, divitijs inter cæteros eminentes interdum Fortes vocantur Honr. p. 361. propriè ut præsentī negotio inferviat; pro habitu animi, in rebus formidolosis occupato, maximè autem bellicis sicut recta ratio jubet.

V.

Et licet fortitudo in togatam & sagatam possit dividi; Illâ homines quanquam in castris non constituti mala quotidiana fortiter aggrediuntur & sustinent, sic Anaxagoras audita morte filij, nihil inquit mihi inexpectatum aut novum nuncias: ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem Valer. Max. lib 5 c. 10. Hæc quâ mortem optetere in bello vir fortis non dubitat: præcipuè tamen de hac disquiremus.

VI.

Est itaq; Fortitudo virtus, servans mediocritatē:
in

in Metu & fiducia, Arist. l. 3 Ethc. 6. moderatur duobus his affectibus, ut pericula, labores, ipsamq; adeo mortem rectæ rationi congruenter vel iubeamus, vel fugiamus, honestatis & publicæ utilitatis gratia.

VII.

In enarratione hujus definitionis primum notetur objectū, seu materia ipsius fortitudinis, quæ sunt τὰ φοβερά καὶ θαρραλέα hoc est quæ metum homini incutiunt & fiduciā excitant; τὰ φοβερά vocamus cuncta quæ metui solent: ut sunt infamia paupertas morbus. &c.

VIII.

Verum mala hæc, non sunt unius generis, in quibus vir fortis se eodem modo gerere possit. Alia enim sunt adeo mala ut nemo non ea formidare debeat, qui pij & Honesti viri nomen tueri velit: ut sunt offensio numinis divini, violatio religionis, infamia nostri & nostrorum. Qui hæc non metuit, is fortis non erit; quanquã autem nonnullis per translationem fortis dicitur, quoniam simile quiddam forti habet Arist. lib. 3. Eth. cap. 6.

IX.

Alia sunt mala quæ & formidare & non formidare quis citra culpam potest, & ob quæ neq; timidus neq; fortis aliquis dicitur. Non formidamus ea quorum ipsi nec authores sumus, quæ neque in nostra potestate sunt ut vitemus: ut paupertas ex populationibus

dicens, fatis vixi invictus enim morior Corn. Ne-
pos in Epam.

XV.

Alterum viri fortis officium est in periculis im-
pavido ac interrito animo esse, non tamen omni me-
tu vacare: vacabit tamen quantum patitur condi-
tio mortalis; non erit instar lapidis in quo nullus sit
sensus doloris. si vir fortis dolorum sensu non tange-
retur fortitudinis laudem promereri non posset, quo-
niã ipsa virtus talis est quæ dolores moderatur; Quem-
admodum dolores & vulnera ipsi invito fiunt, ita si-
militer mortem quoq; extimescit.

XVI.

Ultimum viri fortis officium est non tantũ omnia
honestatis & virtutis amore, sed etiam honestis ac li-
citis medijs agere, utendum quidem est strategema-
tibus, quibus clarissimi viri usi sunt, sed fraudes & do-
li malitiosi ejus dignitate inferiores sunt. Fortiter
non agunt illi, qui sicarios ad hostes trucidandos sub-
ornant: ut Darius qui omnibus modis conatus est A-
lexandrum interficere & percussorem in illum
emere Curtius lib. 3. c. 5. 7.

XVII.

Hinc quæri potest. Num fortes dicendi, qui de
speratione & impatientia quãdam diem fatis occupa-
pant? Fortium namq; virorum est magis contemneri

mor-

mortem quam odisse vitam cūrt. lib. 9. c. 10. Exempla tamen multa, tam in sacris quam prophanis inveniuntur. Saulus ne in hostiū veniret potestatem transfixit ilia ferro 1. Sam. c. 31. Razias Machab. 2. c. 14. Cato Uticensis Florus lib. 4. c. 2. Caius Velleius de quo Patercul. l. 2 c. 7 6. hos Arist. potius molles quā fortes habet. An vero his annumerandi Nautæ, qui coniecto igne in pulverem tormentarium, se pariter cum hostibus necant, id alijs qui sunt altioris Judicij determinandum relinquimus.

XVIII.

Nec fortes sunt qui duello se sistunt, nec ignavi qui se subducunt; potest tamen quis fortis nomen tueri, licet vitam ita non prostituat, siue enim vincas siue vincaris nulla in Rempub. redundat utilitas. Excipitur tamen Monomachia quæ ducum consilio ad bellorum compendium inducitur. Talis erat Davidis Goliathi 1. Sam. 17. Scarini Gothorum Regis & Gramij Danorum Johan. Mag. lib. 2. c. 7. Qui laude fortitudinis fraudandi non sunt.

XIX.

Quæritur an forti viro potius sit moriendum, quā fugiendum? Mors eligatur si fugâ Rempub. deferatur, Religio prodatur &c. Sin autem mortui, parum emolumentum afferamus patriæ, & superstites, multū commodare possimus, tūm quidem fugere præstat quam

mortem oppetere. Romani post cladem kannensem Varroni gratias egerunt, quod vitæ consulisset, cum collega ejus Lucius Paulus, amisso exercitu fugere nolisset sed in eo saxo cui se vulneratus acclivaverat persedisset, donec ab hostibus oppressus confoderetur Livius lib. 22.

XX.

Quoniam sæpè numero actiones speciem quandam habent virtutis, cum tamen propriè non sint virtutes; verum aliquo modo ad eas accedunt, suntq; virtutibus cognatæ: Idem in hac quoq; evenit. Actionum igitur ad fortitudinem proximè accedentium species sunt quinq;.

XXI.

Prima civilis dicitur fortitudo, à civibus cujusq; civitatis, qui fortiter pericula adire solent pro libertate, & salute patriæ: Hæc quidem veræ fortitudini videtur esse similis, sed Causa efficiente & finali longe differunt. Civilis fortitudinis causa efficiens lex est, definiens fortiter præliantibus honores, & præmia, ignavis pænam & ignominiam. ita Marrucini ignominiam notabant eos, qui militiam subterfugissent. Cic Philipp. 7. in fine.

XXII.

Omniùm proximè accedit hæc ad veram fortitudinem, nam amore rei honestæ, pericula adeunt cives
ope-

operantur quippè scientes & honoris gratiâ. laude enim dignum, ingruente vi externa, patriæ subsidio venire, nihil illâ charius Curt. l. 5. c. 5.

XXIII.

Huc spectant milites, qui strenuè pugnare coguntur, minis verberibusq; ducum in hostem coacti, vel nulla spe evadendi imminens descrimen: Germani contra Cæsarem pugnaturi omnem aciem rhedis & carris, circumdedere, ne qua spes in fuga relinqueretur Cæsar l. 1. bello Gall. cum viderint hi se nullo pacto præfens evitare malum posse, totaq; periculi facies in oculis est, maxima illis ex desperatione crescit audacia; nam necessitudo fortes viros facit Salust. in catil.

XXIV.

Altera species est militaris, ita dicta, quod in veteranis militibus reperiatur: dicitur alias Experimentalis, nam veterani milites sæpè prælijs interfuere, sicq; crebris actionibus redditi sunt promptiores, quæ audaciam cum hoste conflagendi illis peperere. Nam scientia rei bellicæ nutrit audaciam pugnandi. Hi comitante proniore fortuna peritiâq; sua fisci, fortes se gerunt, ad venante periculo cujus impetum se sustinere dubitant, opinio illorum ad irritum cadit, sædæq; consulunt fugæ.

XXV.

Licet hæc fucata sit quædam fortitudo; magna
B 3 tamen

tamen ejus sunt comoda in bello quippe milites veterani subitos terrores qui semper in bello contingunt, firmiori animo excipiunt, datâq; occasione, hostem adoriuntur: contra, tyronum facile animos, tumultus bellici horrore perstringunt, sic de se actum opinantur, cujus rei præclarum exemplum apud Cæf. l. i. de bell. civili extat.

XXVI.

Tertia species non veræ fortitudinis, dicitur iracunda, quæ suscipitur propter iram vel alium animi affectum, aut amorē vel cupiditatem; Ira enim solet hominibus in periculis addere animū, ita ut quodammodo nihil extimescant sicut apparet in hominibus iratis, qui interdum inermes adversus armatos insurgunt & cum illis pugnare audent, quod nunquam facerent, si non ita irā essent concitati. Hi pugnacis nomen merentur & non viri fortis, aliàs brutis fortitudinis nomen competeret. Multis hæc differt à vera fortitudine.

XXVII.

Quarta species est illorum, qui spe vincendi fortes se gerunt, nam spes victoriæ solet animos hominū erigere in periculis & eos confidentiores reddere, ut magna adeant pericula: horum audacia inde illis crescit, quod sæpius antea victores viguere, seque solos virtuti & Marti litasse arbitrantur. Cum
ebrijs

ebrijs illos Philosophus confert 3. Eth. c. 8. nam
qui mero sunt onusti, nil nisi minus arma spirant,
montesque in planum cum ~~se~~ deducunt, con-
vexaque vallium æquant Justin. lib. 2. c. 10. Post-
quam hesternam edormiverunt crapulam, omnem
ferociã deponunt, mirãque mansuetudine mitescunt:
Sic hi, quamdiu nihil discriminis viderint, animosi
sunt, ingruente autem periculo, ex leonibus urisque
fævissimis in velocissimos cervos mirã metamor-
phosi transmutantur, contentique sunt non laceffi.

XXVIII.

Quinta species est Fortitudo inscia, ita dicta,
quod magnitudo præsentis discriminis ignoratur. Ta-
lis est plerumque in novitijs militibus, qui summã le-
titiã perfusi, in bellum tanquam nuptias & choreas
provehuntur, de quibus recte sonat hoc proverbium;
dulce bellũ inexpertis: Cognito periculo certatim
fugam capeffunt. Sic Trevirenses, cum finitinis se
pugnare putantes, cum in Romanos incidissent stre-
nue pugnabant, postquam sensissent Romanos esse
fugam ornabant Cæs. l. 6. bell. Gall.

XXIX.

Ut virtutibus reliquis duo vitia opponuntur
(excepta Justitiã) ita quoque fortitudini; quorum
unum in excessu, diciturque Audacia, alterum in de-
fectu & ab Ethicis Timiditas appellatur. Posterius

priori deterius est; quoniam is qui hoc sibi familiare reddiderit nil audet pro honestate suscipere, sed omnia ex æquo fugit & averfatur.

XXX.

Audacia modum excedit in confidendo, & sæpè comitante fortuna plurimum efficit,

Nam ---

Audentes fortuna juvat.

Hæc veræ fortitudinis imitatrix, merito præferatur Timiditati, quia hæc nihil præclari efficit, sed potius Rebus publicis plus detrimenti quam commoditatis adfert.

XXXI.

Coronidis loco, quærere placet, quid de Sanctis Dei Martyribus sentiendum, numnè illi intra veræ fortitudinis cancellos claudendi? Si propriè sumatur fortitudo pro virtute circa mortem bellicam, fortes dici nequeunt: Verum, si torturam fortis viri & Martyris conferamus, fortis nomen ipsi non denegandum.

XXXII.

An Fas sit foeminas participes hujus virtutis facere? Quid ni? Nulli quippe præclusa est virtus, omnes admittit, nec sensum nec sexum eligit, teste Seneca. Exempla habentur tam in Sacris quam prophanis historijs de Debora Judicum 4. Juditha, in lib. Judith, Semiramide de qua Just. Clælia virgine Liv. l. 2.

Utrum deceat virum fortem lachrymari? Quis miretur hominem flere? Hinc infantia incipit, in hanc necessitatem plerumque fortuna deducit. Ergo si lachrimæ non sunt ignavæ mollietiei, sed commiserationis ac justî doloris indices, quemadmodum de Alexandro refert Curtius l. 3. c. 12. & lib. 4. c. 10. dicendum est lachrimas viros fortes decere; Quippe haud nati sunt ferreos gestare animos, quod humanitati repugnat: Humanum est & naturale humanis casibus affici.

Hæc sunt quæ pro ingenij viribus hac vice proponere constituimus, Deo Triuni sit laus in sempiterna secula.

C O R O L L A R I A.

An homines improbi exquisitissimos dolores & cruciatus patientes fortes sint dicendi? N.

An fortis delectetur in suo actu? Aff.

An sustinere, principalior sit actus fortitudinis quam agredi pericula? Aff. prius.



AD

Præstantissimi Juvenis,

Dn. OLAVI Helsingi amici
mei atq; cognati singulariter dilecti,
disputationem præsentem.;

HAud temerè Plato rimans miracula rerum.,
Ideam statuit cuncta referre suam.
Nam velut in speculo, formæ speciesq; reident,
Sic pariter nil non imprimat illa tibi.
Vastum metatur pelagus non æthera nescit,
Terram metitur, bella togamq; regit.
Inter mucrones simulatq; crepantia tela,
Iudex versatur, segnia nulla ferens.
Miles fortis, vult, pugnam luctamq; capessat,
Singula quæ is præstet, munia præcipiens:
Hæc eadem satis te Helsing, alios quoq; mansit,
Posthuma Platonis, quam tibi fac propriam.

Debiti honoris causâ

apposuit

PETRUS ELIÆ Gavelius.

